





14.

DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
**LOCATORIS  
SUCCESSORE**

*QUAM*  
DIVINA ADSPIRANTE CLEMENTIA  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DN. GUILIELMO HENRICO**

DUCE SAX. JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM ANGARIÆ  
ET WESTPHALIÆ ET RELIQUA  
EX DECRETO ET AUCTORITATE  
ILLUSTRIS IN FLORENTISSIMA SALANA ICTORUM ORDINIS  
PRÆSIDE

**JOANNE BERNHARDO Friesse,**  
HEREDITARIO in Pöfen/

ICTO, SERENISS. DVC. SAXO-ISNAC. CONSILIARIO AULICO ET  
CONSISTORIALI, ANTECESSORE, IUD. AUL. FACULTATIS  
IURIDICÆ ET SCABINATUS ASSESSORE  
DOMINO PATRONO, ÆTATEM, UTI PAR EST, VENERANDO

**PRO LICENTIA**

SUMMISQUE IN UTROQUE JURE HONORIBUS ET PRIVILE-  
GIIS RITE ET MORE MAJORUM CAPESSENDIS

D. XXVII. OCTOBR. MDCCXVII.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT

**JOANNES BENEDICTUS KYBERUS, ADVOC.**

AUL. ALTENB.

---

J E N Æ  
TYPIS WERTHERIANIS.

DISSET NRO IN VALLIS FRIDICA

# LOCATORIS SUCCESSORE

DIVINA ASSISTENTE CLEMENTIA  
RACIORE LACRIMOSISSIMO  
SARVISSIMO PRINCIPIS DE COMINO  
DN GUILIELMOMONENRICO  
DUCE SAN JULIE CATHI MONTUM ANGARIE

IT WESPALIAE ET TRINIA  
ET DE RETO ET ANTE ET  
MAGISTRI IN FACULTATIBUS SANCTI IORDANI ORDINIS  
PRASIDE


JOHANNES BERNHARDO GUILIE  
PRASIDE  
ITOTI SERENISSIMO PRINCIPIS DE COMINO  
CONSISTORIALI APOSTOLICE SEDIS SACRILEGII  
IURIDICA ET SACRILEGII APOSTOLICE SEDIS  
DOMINO PRASIDE ET IURIS ET EST, PENERANDO

PRO LICENTIA  
SUMMORUM IN IURIS HONORIBUS ET PRIVILE-  
GIIS RITE ET MORE MAIORUM CAPSULENDIS  
D. XVII. OCTOB. MDCCXXII.

HONORABILIS ET VENERABILIS  
IURIS PRASIDIS ORDINIS SACRILEGII APOSTOLICE SEDIS  
JOHANNES BERNHARDUS KYBERUS, ADVOC.  
ABE. ALLENB.

T E M P  
TYPIS WERTHERIANIS.





Um in argumento dissertatio-  
nis inauguralis eligendo occu-  
patus, materiam in usu quoti-  
diano frequentem Disputatio-  
ni subjicere mihi constitui;  
Materiam scilicet de Locato-  
ris successore, quatenus ille  
locationi stare vel non compellatur. Materia  
hæc, utpote quotidiana ac necessaria plenius es-  
set attingenda, sed cum brevissimo temporis spa-  
cio circumscribar, delibabo saltem ac breviter  
& quasi per indicem illam declarabo. Quod,  
ut benefiat, faxit ille, in cujus nomine glorio-  
sissimus Imperator Justinianus opera sua ince-  
pit, Dominus scilicet & Deus noster Jesus Chri-  
stus laudandus in secula.

A 2

Thef. I:

Thef. I.

Cum autem nominis tractatio semper prior esse debeat, *l. 1. ff. de Just. & Jur. l. 1. ff. de reb. Credit.* ideo ab initio monendum, quod dicatur locatio, unde locator appellatur, a loco, siquidem locare est, locum quasi alteri in suo dare, collocare, vel proprie in loco ponere. *Varr. Lib. 4. de lat. ling. Wefenb. tit. ff. Loc. cond. n. 1.* Est vero locator in locatione rei, nam de locatione operarum hic non agimus, qui rem dat utendam sub mercede *l. 33. ff. loc. cond.* Successio vero, unde succesor dicitur, significat in locum alterius concessionem. Quæ quemadmodum duplex est, universalis & singularis, *Calvin. Lex verb. successio.* ita & succesor pariter vel universalis vel singularis est. Ille est idem, quod heres, qui in universum jus defuncti succedit, *l. heredem 59. l. hereditas 62. de reg. Jur.* Singularis vero, qui succedit in rem. *Duar. ad l. 25. §. ult. ff. solut. matrim.* vel qui rem aliquam singularem, ut domum, agrum &c. ab aliquo habet, vel donationis, vel legati, vel dotis, vel emptionis titulo; & ille, a quo rem habet dicitur auctor, *Sich. ad leg. 9. C. de locat. n. 4.*  
Unde

Unde constat, quid per successorem locatoris intelligamus. nempe eam, qui est vel ejus heres vel qui rem singularem a locatore habet.

Thef. II.

De successore locatoris universali sive herede primo erit agendum. Locationem transferre ad successorem universalem sive locatoris heredem & conductionem in conductoris heredem manifestum est. §. ult. l. de loc. & Cond. l. 10. C. de loc. Hinc si dominus, qui locavit fundum in quadriennium, hoc intra tempus moritur, heres ejus servare locationem tenetur. l. 32 ff. loc. cond. neque ei conductorem expellere permissum, quia dominus ipse, cum quo heres est ejusdem juris & ejus factum præstare debet. l. 59. & l. 149. ff. de Reg. jur. Giph. ad l. 9. C. de loc. Faber de err. pragm. Dec. 24. err. 4.

Thef. III.

Nunc commode ageretur etiam de herede mariti, qui fundum dotalem alteri locavit, an & ipse marito intra tempora locationis mortuo obligetur conductori; sed quoniam decisio hujus quæstionis dependet ab illa, qua quæri-

A 3 tur,

tur, an uxor teneatur stare locotioni fundi do-  
 talis a marito factæ, an vero illa, dissoluto, ante  
 tempus locationis finitum, matrimonio possit  
 expellere conductorem, hæc est præmittenda.  
 Duar. ad l. si filiofamilias 25. §. ult. ff. solut. ma-  
 trim. arbitratur, Paulum Ictum in hoc textu  
 sensisse videri, ratam manere locationem debe-  
 re, nec mulieri licere aut colonum expellere aut  
 contra locationis legem aliquid facere. Alio-  
 quin iniquum esse a muliere, juxta citatam le-  
 gem cautionem exigere, qua jus coloni expel-  
 lendi ei adimeretur. Et constare stipulationes  
 olim interponi solitas fuisse de iis, quæ vel se-  
 cundum naturam contracti negotii in obligatio-  
 ne essent, majoris videlicet certitudinis, cautio-  
 nisque gratia. Verum enim vero, scrupulum  
 Duarenò injicit, quod idem Paulus cit. leg. ait,  
 Cavendum esse marito, si damnatus sit. Qui-  
 bus verbis significat Paulus maritum, condu-  
 ctore, qui ab uxore expulsus est, agente, dam-  
 nari posse. Quod contingere non posset, nisi  
 per judicem expulso colono. Si enim per vim  
 expulsus fuerit colonus, licet merces locationis  
 ob eam causam remittatur, tamen nulla actio,  
 qua





qua damnari possit locator ad id, quod inter est, competit conductori *l. si fundus ff. loc.* Qua de causa distinctione nodum solvere studet; nempe uxorem locationem a marito factam revocare non posse, neque conductorem expellere, nisi caverit marito, de eo quod ipse tanquam locator, conductori ab uxore expulso damnatus fuerit, præstare actionem ex conducto. Et ratio cur locationem aliter revocare non possit factam a marito, affertur hæc, tum quia marito nihil imputari possit, quod scilicet res locata ad uxorem pervenerit, tum quia societas inter conjuges idem evadeat, ne recte gesta a marito, uxor postea rescindat. Idem Duarenus ait, distinguendum in tempore locationis, id est, ut si ad annum tantum facta locatio & intra annum eum, solvatur matrimonium, non possit ullo modo uxor eam revocare, sive conductorem expellere: si vero longiore tempore & in quinquentium facta sit locatio, possit eo casu eum expellere, si caverit marito, aut si eo consentiente expellat. Nam cum tam brevis est locatio, præsertim fundi, injusta esset uxor, quæ, cum ejus anni fructus pro matrimonio serviant, si conductorem

storem expelleret, id est, marito ipsi per consequentiam fructus fundi eriperet, qui cogeretur conductore expulso, ad id, quod interest, præstandum. Cui Duareno cum aliis etiam Giph. ad l. 9. C. de loc. assentitur. Sed quia hæc distinctio neque ex verbis Pauli pateat, neque ex mente ejus recte colligatur, non potest non aliis displicere.

## Thef. IV.

Ant, Faber de err. pragm. Dec. 24. err. 4. licet arbitrerur, ad quæstionem hanc, utrum locationi per maritum factæ, mulier soluto matrimonio stare compellatur, non satis bene respondere eos, qui simpliciter & absolute affirmant, compelli eam, nec illos rursus, qui absolute negant. Priorem tamen opinionem simpliciter & absolute affirmantem amplector. Quæ est Bart. ad l. 25. ff. solut. matrim. ubi textus præsupponit, maritum teneri in prædicto casu, ad omne interesse, expulso colono per mulierem, quod non esset, si ipsa mulier præcise teneretur, cum administratorem defunctum suo officio, non sequatur obligatio ejus nomine. Deinde, quia fructuarius

Etuarius potest compellere colonum constitu-  
 tum a proprietario *l. arbores 59. §. 1. ff. de usufr.*  
 quia potentius habet jus, multo magis proprie-  
 tarius reverso ad se usufructu expellit colonum  
 a fructuario positum *l. si quis 9. §. 1. ff. locat.*  
 quid ni mulier recepta dote, cujus plenum jus  
 habet, & cum colono non contraxit. Acce-  
 dit, quod maritus non ut administrator nomi-  
 ne mulieris, sed proprio locaverit, ut habens jus  
 in dotem, ejusque fructus sibi colligens. Quod  
 vero in *d. l. 25. §. ult. solut. matr.* mulier debeat  
 cavere marito, super indemnitate, in casu, quo  
 colonum expulerit, nil potest juvare alteram  
 partem, quia cautio non obligat mulierem con-  
 ductori, sed marito & quidem in eum duntaxat  
 calum, quo nolit illa stare colono; Et hoc est  
 æquitate ita dispositum, quæ maxime servanda  
 inter conjuges, quatenus subest alterius commo-  
 dum *l. 2. ff. solut. matr. Zoes ad Cod. tit. de Loc.*  
*quest. 12.* Qui ibidem asserit, quod mulier so-  
 luto matrimonio præcise teneatur stare locati-  
 oni paraphernalium, quorum maritus est admi-  
 nistrator *l. 1. Cod. de pact. conv.* Legitimus enim  
 administrator facit teneri eum cujus nomine ad-

B

mini.

ministrat, modo cesserat fraus. *si tutela & ff. de  
admin. tut.*

Thef. V.

Quod vero mulier teneatur marito cau-  
tionem præstare, Cuiacius ad Paulum restringit  
ad casum divortii: Casum mortis vero non spe-  
ctare hanc cautionem; Quæ distinctio Fabr. *d.  
loc.* non arridet, quod ejus distinctionis nulla ad-  
sit ratio. Sicut enim divortio facto, æque fun-  
dus desinit esse dotalis atque morte mariti, ita  
soluto per mortem mariti matrimonio perinde  
potest imputari ejus heredi, quod sine cautione  
fundum mulieri restituerit, atque marito viven-  
ti hoc ipsum imputaretur, si matrimonium di-  
vortio solutum esset; Sed ratio diversitatis haud  
est obscura, quia soluto per divortium matri-  
monio, maritus existit & prior respectus conju-  
galis quodammodo adhuc durat, quod ex cau-  
tione ab uxore illi præstanda, intelligitur. Sed  
per mortem dissoluto matrimonio respectus ille  
conjugalis omnino exspirat, nec continuatur in-  
ter uxorem & mariti heredes, qui nec sibi pro-  
spicere possunt, cum nullibi in jure traditum,  
quod

quod uxor mariti heredibus cautionem praestare teneatur.

Thef. VI.

Nunc considerandum venit, utrum heres mariti obligetur conductori, qui fundum dotalem in quinquennium locavit, & post primum annum decesserit. Eum teneri alioquin colono a muliere expulso praestandam indemnitate asserit Wisenbach *ad l. 10. C. de loc. hocque probat arg. l. 25. §. ult. ff. solut. matrim.* Quamvis vero consentientes habeat, non puto tamen hoc dicta lege probari posse. Quod enim uxor divortio facto, teneatur de indemnitate marito cavere, speciale est in causa divortii: singularia vero extendenda non sunt. *l. 14. ff. de leg.* Cum enim maritus ratione dotalis praedii magnam habeat affinitatem cum usufructuario, cuius heres locationem adimplere non tenetur, nihil impedit, quominus idem de herede mariti dicatur, cum fundus locatus dotalis ad mariti heredes non magis perveniant, quam ad usufructuarii heredes fundus usufructuarius. Neque dicas cum Fabro, quod plus juris habeat mari-

zus, in fundo dotali, qui interim dominus & proprietarius est, quam usufructuarius, ita & qui a marito conduxit fundum dotalem, plus juris habere debet, quam qui ab usufructuario conduxit fundum fructuarium, in eo nimirum ut mariti heredem ex causa locationis obligatum habeat. Verum enim vero habet quidem maritus plus juris in re dotali, quamdiu existit matrimonium, quam usufructuarius in re usufructuaria, sed ratione transmissionis ad heredes in causa locationis idem est jus fructuarii & mariti.

**Thes. VII.**

Quia haecenus de successore locatoris universalis actum, nunc etiam de successore singulari agendum erit; solent autem successorem hunc facere diversum, alium necessarium alium voluntarium. Illum teneri observare locationem factam per praedecessorem volunt. Quam tamen regulam neque veram neque juri conformem alii judicant. Nimirum quod ob eam rationem particularis successor non teneatur observare locationem factam per praedecessorem, quia

quia colonus nullum habet jus in re conducta  
*l. non solet. ff. loc. cond.* Particularis autem suc-  
 cessor dominium rei acquirat, & ideo non tene-  
 atur pati ut se invito quis rem suam detineat *l.*  
*1. §. pen. Depof.* Et licet colonus habeat actio-  
 nem ex locato adversus locatorem, ea tanquam  
 personalis intendi non possit adversus particula-  
 rem successorem *l. fin. §. fin. ff. de contrab. empt.*  
*vend.* Hanc rationem pariter militare in neces-  
 sario successore volunt, adeoque hac ratione nec  
 is tenetur observare locationem factam per præ-  
 decessorem. Hinc licet fiscus succedens pro-  
 pter bonorum publicationem consideretur tan-  
 quam necessarius successor, fiscus tamen non  
 tenetur observare locationem factam per præ-  
 decessorem *l. si fundus 33. ff. loc.* Nec admit-  
 tunt responsionem, speciale nimirum esse in fisco,  
 ut quamvis successor necessarius sit, tamen non  
 teneatur observare locationem factam per præ-  
 decessorem, quia specialitas in fisco non est fa-  
 cile admittenda, juxta *Gloss. l. 1. C. de petit. he-*  
*red.* Neque quoad præterita fiscus utitur pro-  
 prio privilegio, *l. fiscus 6. ff. de jur. fis.* Idem  
 esse in reliquis singularibus successoribus vo-  
 lunt.

lunt. Neque obstare videtur *lex in venditione*  
 §. 1. ff. de reb. auct. jud. possid. Ibi enim fuit  
 creditor missus in possessionem ex primo decre-  
 to in bonis debitoris, & sic non fuit in eum trans-  
 latum plenum jus bonorum, sed tantum jus de-  
 tinendi l. 3. §. fin. ff. de acquiren. poss. Unde  
 cum debitor adhuc maneret dominus illorum  
 bonorum marito creditor, qui neque plenum  
 jus administrandi in illis acquisivit, non potest  
 rescindere locationem. Ita *Bart. ad l. 26. §. fin.*  
*n. 3. ff. solut. matr.* Sed veritas hujus aserti  
 constabit ex his, quæ de singularibus successori-  
 bus in sequentibus tradenda.

Thef. VIII.

Primo vero considerandus venit emtor  
 fundi locati, adeoque locatoris successor singu-  
 laris, qui expellere colonum ex fundo locato va-  
 let, l. 9. C. de loc. Licet enim emtor sit velut  
 successor universalis venditoris, arg. §. inter em-  
 tor. J. de usur. & long. temp. præscript. Heres  
 vero colonum expellere nequeat, cum ipse do-  
 minus sive locator hoc non possit, d. l. 9. C. de  
 loc. Diversum tamen constitutum, cum quia  
 emtor



emptor nihil contraxit cum conductore, tum quia domino aut b. f. possessori, ut est emptor, alii non domini aut non possessores, ut est conductor, cedere debeat *l. pen. § ult. ff. de publ. in rem act.*

Thef. IX.

Ab hac regula, nempe quod emptor non obligetur locationem continuare, excipere solent  
 1) Emptorem, qui a fisco emit, *l. ult. ff. de jur. fisc.* Cujus ratio est favor fisci, ne scilicet fiscus teneatur conductori. De bonis confiscatis sive publicatis quaeritur, an si ea vendit fiscus, nihilominus emptor possit expellere conductorem etiam eum, qui a non fisco, sed etiam a priore domino, cujus bona in fiscum redacta conduxerit. Et existimant, cum heres non possit expellere conductorem, & fiscus sit heredis loco, emptorem multo minus hoc casu expellere conductorem. 2) Exceptio est, si pacto convenerit, ut emptori non liceat expellere conductorem *d. l. 9. C. de loc. § l. si mercedem 53. §. ult. ff. de act. emt.* Ubi tamen Paulus distinguit hoc pactum de habitantibus mercede an gratis, & pactum spectare ad priores, modo  
 sit

fit generale: speciale vero etiam habitantibus gratis conducere. Cujus distinctionis inter gratuitum & mercenarium habitatorem adfertur, quod hic habeat regressum adversus locatorem, ille non habeat. Donator enim non tenetur de evictione *l. 2. C. de Evict.* 3) Exceptio adfertur ab Interpretibus, si conductor habeat jus in rem, ut pignus, superficiem, emphyteusin &c. Quod jus postea sit nactus, *arg. l. 1. §. 1. ff. de Superfic.* cujus rationem dant, quia qui jus tale in rem habet etiam retentionem habet, maxime emphyteutarius & superficiarius, qui sunt quasi domini, & proinde hæc disputatio de conductore expellendo de simplici conductore, qui nihil reale habet intelligenda. Has exceptiones refert Giph. *ad l. 9. C. de loc. vid. Brunnem. ibidem.*

Thef. X.

Quod vero expelli non possit per emptorem conductor si bona ei oppignorata, sed illa retinere possit ratione hypothecæ usque ad tempus locationis finitæ. Tum verum esse statuunt, quando locator generaliter oppignoravit bona sua pro securitate locationis, adeoque ad hunc effectum sufficere

ficere generalem hypothecam Covarr. *variar. resol. L. 2. C. 15. n. 3.* Utut alii requirant specialem hypothecam. Conductor itaque rem retinere poterit donec ei satisfiat ratione interesse. Limitationem hanc ita intelligunt, ut non teneatur precise particularis successor servare locationem, sed ne alias cogatur solvere interesse conductori, dum forte emtori utile est, locationem servare, quam conductorem expellere & solvere interesse, sed expellere possit, si conductori interesse, solvere malit: quo facto hypotheca solvitur, *l. Paulus 12. §. fin. ff. quib. mod. pign. vel hypoth. solv.* Hæc quidem communis est opinio, contrarium tamen conductorem expelli non posse, etiamsi offeratur interesse, tenent alii. Præferenda tamen est prior opinio, cum enim emtor sit dominus rei locatæ, expellere quoque poterit conductorem, sicque hypothecam offerendo interesse dissolvere. Nec obstat *l. si creditor §. fin. ff. de distr. pign.* Quia ibi continetur casus specialis, in quo emtor precise tenetur stare colono, scilicet quando ultra hypothecam pactum factum de non alienanda re oppignorata: Tunc enim si contra pactum ea res alienetur, nihil valet alienatio, & consequenter

emtor

C

emtor

emtor non poterit expellere conductorem. Barbol. *ad l. 26. §. fin. ff. solut. matr. n. 31. & 32.*

Thef. XI.

Grœnev. *de leg. abrog.* arbitratur cum Gudelin. *de jur. noviss. Lib. 3. c. 7.* legem 9. *Cod. de loc.* Hollandiæ & plerisque Belgii moribus, secundum vulgare axioma; Huir gaet voor coop, abrogatam esse. Quod ille ita interpretatur, ut tantummodo procedat si locatio coram iudice rei sitæ facta sit, aut si privato contractu, quatenus, ut plerumque fieri solet, locatio est infra decennium. Ceterum si ad longum tempus privatim facta locatio, aliud dicendum existimat; quia hujusmodi locationem; quatenus longum tempus excedit, non subsistere, quod in locatione longi temporis eadem solennitas intervenire debeat, quæ in alienatione, cujus naturam induat atque forciatur, ex communi atque inveterata DD. sententia. Sed a Sande *tract. de probib. alien. part. 1. c. 1. n. 46.* judicat de hac sententia, quod ad rationem juris exacta, in dubium revocari possit, quia nusquam in jure traditur, ex simplici locatio-  
ne quancunque temporis jus aliquod reale, ne-  
dum

dum quasi dominium transferri, vel locationem quantumvis in longum tempus porrectam in emphyteusin transire; quia emphyteusis non modo longum tempus, sed & perpetuum requirit aut certe incertum. *l. 1. Et passim ff. si ager vert.* Nec temporis adiectione, sed propria conventionis forma contractus ab invicem distinguuntur, *l. procuratorem 65. ff. de procurat.* Nihilominus tamen ab ea recedere periculosum esse, quod 1) hæc communis opinio sit canonizata *c. 1. Clem. de rebus eccles. non alienand.* 2) quia multis præjudiciis confirmata, & quod 3) mutatio vergeret in præjudicium emtorum & fisci. Inviti itaque mores illos juris rationi conformes non esse fateri coguntur.

## Thef. XII.

Ad singulares successores refertur & ille venditor, qui sub pacto de retrovendendo fundum vendidit, quem emtor locavit alteri, redimit autem fundum ante finitam locationem, de quo quaeritur, an colonum invitum expellere possit? sunt qui negant, quod quamdiu venditor non redimit rem, quam ex pacto redimere quodocun-

que posset, videatur emtor interim frui re vendita ex voluntate venditoris, qui scilicet redimendo impediret eum uti frui *exl. si vir uxori 12. de pres. verb.* Unde hanc sententiam foventes, sequentem formant regulam; ut quoties eo tempore, quo facultas locandi ad re pertinet, tu locas, si tacite vel expresse huic locationi consentio, licet postea pendente ipsius locationis tempore ea locandi facultas in me transferatur, teneam tamen stare locationi. Cui rationi additur alia generalis regula, quod singularis successor necessarius quilibet, tenetur locationi ab alio factæ stare, in cuius jura ipse succedit. Quæ sententia tamen aliis minus arridet, & rectius existimant, quod is, qui vendiderat sub pacto de retro vendendo, quod post retro venditionem perinde novus emtor sit, ac si nunquam vendidisset. Merito itaque & eo jure utitur, quo cæteri emtores uti solent, ut locationi sui venditoris stare non teneatur *l. 9. C. de loc.* Eorum enim, qui a fisco emerunt, peculiaris est ratio, quibus ideo colonum expellere non licet, ne fiscus, ut dictum, colono de indemnitate præstanda obligetur, *l. ult. ff. de jur. fisc.* ex cujus legis verbis: *atque si hoc ipsum in emendo convenisset.* colligitur,

sup

igitur, regulariter ita ius constitutum esse, ut si pacto nulla intervenerit, colonum venditoris expellere emtor possit. Quod vero de necessario herede adfertur, non subsistere ex supra dictis patet, cum & mulierem necessariam heredem dicant, quæ tamen locationi a marito factæ stare non compellitur. Et cum venditor non necessario redimat fundum venditum, minus recte quoque necessarius successor dicitur. Quia insuper emtor simpliciter & qui nullo iure præcedente rem emit, expellere possit colonum, quid ni & emtor cui ex pacto res necessario vendenda est, hoc iure gauderet, cum plus juris illius rei habeat, quam simplex emtor: quod vero dictum in potestate venditoris fuisse, ut fundum redimeret, antequam per emtorem locaretur, atque ideo videri ex eius voluntate factam locationem, fictitium est, cum non sequatur, venditor sub pacto de retrovendendo potest pro lubitu repetere fundum venditum, ergo revera etiam redimit, cum ad redemptionem requiratur non saltim potestas, sed etiam pretium, quod in venditore deficere velis in meliores usus impendere potest. Dum porro in emtorem sub pacto de retrovendendo ple-

num rei jus transferatur, quo referenda potestas fundum alteri locandi, adeoque venditor locationem impedire nequeat, non potest ille pro consentiente haberi. Barbosa *ad l. si filio familias §. ult. sublat. matr.* plenius huc spectantia exponit.

Thef. XIII.

Paucis quoque considerandum erit, an successor in beneficio teneatur stare locationi per prædecessorem factæ. Affirmant alii eo, quod in beneficio consideretur quasi successor universalis, quam opinionem veram esse censent, si locatio facta fuerit a Prælato, tanquam administratore in utilitatem Ecclesiæ. Utuntur *argumento l. si tutela 8. ff. de admin. tutor.* ubi in tutore hoc est statutum, ergo multo magis hoc obtinebit in Prælato, qui non minorem habet potestatem in administrandis rebus Ecclesiæ, quam tutor pupilli, imo majorem, Glos. *Can. fin. 5. quest. 3.* Aliud vero sentiunt, si a possessore beneficii proprio nomine locatio fuerit facta, qui cum jus restrictum ad vitam tantum habuerit, nil amplius potuit elocasse, *arg. l. f. ff. de*



*de act. emt.* Nec potest tanquam successor videri debere præstare factum defuncti, cum in ejus jus non succedat, quod extinguitur morte ipsius, & habetur defunctus instar usufructuarii a quo conducens fundum fructuario ad quinquennium mortuo fructuario intra tempus locationis proprietarius locationi stare non tenetur. Sed successorem in beneficio tum stare locationi prædecessoris, debere, si superior locationem confirmaverit; quam opinionem alii ideo sequi, reculant, quia nequidem superior potest futuri Prælati aut beneficianti jus daminere. *Zoef. ad Tit. C. loc. cond. quest. 13.* Addit *Barbòla ad l. 25. ff. solut. matr. n. 28.* quod beneficiatus semper debeat locare nomine proprio & ad proprium utilitatem & sic non transeat ad successorem. Pariter quod Præbenda extinguitur morte beneficiati & nova constituatur in persona sequentis: & ita proprie non dicatur habere successorem, adeoque locatio per eum facta non possit obligare successorem. Hanc materiam prolixius explicavit. *Cavar. Lib. 2. var. resol. cap. 15. n. 6.*

Thef.

## Thef. XIV.

Locatio bonorum majoratus utrum transeat ad successorem majoratus, an vero hic colonum expellere possit, nunc dispiciendum est. Ut vero hoc eo melius consideretur, notandum, quod majoratus est quædam dignitas & prærogativa cum successione, quam habet primogenitus in cognatione sua. Ant. Gomez. *ad l. Tauri u. n. 1.* Statuitque quod majoratus habeat ortum tam de jure divino, quam gentium & positivo. De jure divino, quia primogenitus præferebatur aliis fratribus in sacrificiis offerendis, & aliis. Ex jure gentium etiam ortum habere probat *argum. leg. ex hoc jure ff. de Just. & jur.* Ex jure civili & positivo vero ortum habere probat diversis textibus, ut *tot. tit. C. & ff. ad Senat. Trebel. l. filiusfam. §. divi ff. de leg. l. item l. unum. ex familia ff. de leg. 2.* ex quibus jure constat, quod potest quis gravari per testatorem bona sibi relicta vel rem particularem post mortem vel post certum tempus alteri restituere. Utut vero possessor bonorum majoratus commodum istorum bonorum habeat, facultas tamen alienandi ipsi concessa non est.

est. Bona enim majoratus nullo contractu vel titulo oneroso vel lucrativo, puta venditionis, donationis vel alterius similis contractus, per quem potest mediate vel immediate transferri dominium. Quod multorum DD. auctoritate confirmat Gomez *adl. Tauri* u. n. 81. Porro nunc considerandum venit, an bona illa majoratus locari possint. Si enim locari non possent, inutilis foret quaestio, an locatio bonorum majoratus transeat ad successorem, & recte putat Gomez *cit. loc. n. 84.* prohibitam alienationem non impedire locationem, eo quod contractus locationis non inducat translationem domini, nec alienationem rei, *l. non solet. ff. loc. ubi dicitur, non solet locatio dominium mutare.* Et prohibitus vendere vel alienare, non censetur prohibitus locare *l. codicillis §. instituto ff. de legat. 2.* Sic fructuarius licet non possit vendere vel alienare, tamen potest locare *l. arboribus §. usufructuarius ff. de usufr.* Pariter feudatarius sive Vasallus non potest aliquo modo alienare, sed bene potest locare. *cap. 1. §. donare, quat. olim. feud. pot. alien.* Imo inquit Gomezius,  
D quod



quod magis est, prædicta bona possunt etiam locari per longum vel longissimum tempus durante vita possessoris. *Glos. in l. Codicillis §. instituto ff. de leg. 2.*

## Thef. XV.

Gomez. *cit. loc.* asserit, his non obstantibus, contrarium esse tenendum, imo quod bona majoratus possint locari ad modicum tempus, non vero ad longum vel longissimum, decem vel viginti, vel plurium annorum: quia talis locatio est species alienationis & per eam transfertur jus in re, *arg. l. 1. §. qui in perpetuum ff. si ager vect. & l. 1. §. quod ait Prætor, ff. de superf.* cum juxta Baldum quælibet perpetua utilitas possit dominium transferre. Hanc opinionem multorum DD. auctoritate stabilivit. Verum enim vero, juxta ea, qua supra ex Sando allata, ista DD. sententia utpote contra manifestum jus & rationem, non attendenda. Quia ex natura hujus contractus fieri non potest, ut dominium transferatur, juxta effectum Ulp. *l. 39. ff. loc. cond.* Ergo nec utile dominium per longi

longi temporis locationem transfertur. Locatio itaque etiam perpetua, quæ licet longissimum tempus duret, tamen manet locatio, & hujus conventionis forma non mutatur. Neque obstat *l. 1. ff. si ager vect.* ubi emphyteusis locatio dicitur, quia hoc prædicatum illi tribuitur, quatenus & in illa ad usum jure licet domini utilis, conceditur. Præterea propter affinitatem, quam emphyteusis habet cum locatione §. 3. *J. de loc. & Cond.* Idem est iudicium de *l. 1. §. 3. ff. de superfic.* Nam superficies pariter cum locatione affinitatem habet. *Bocer. clas. 2. disp. 4. Thes. 13.*

Thef. XVI.

Quibus præmissis, siue possessor majoratus ad breve vel longum vel etiam longissimum tempus, locavit bona majoratus, contractus tamen non transit ad successorem nec tenetur adimplere contractum, quia antecessor neque dominus neque legitimus administrator bonorum, sed tantum jus temporale habet, quod post mortem extinguitur; Successor itaque illud jus non ex persona immediate possessoris, sed ex persona primi fundatoris consequitur.

## Thef. XVII.

Si Vasallus rem feudalem alteri locavit & intra tempus locationis moriatur, feudumque ad dominum revertatur, utrum ille locationi factæ stare & contractum implere obligatus sit, quaeritur. Molinæus, referente Fabr. *cit. loc. err. 5.* ut in priori casu, distingvit, an locatio facta sit in longum tempus, id est decennium an vero in brevius decennio; Et hoc casu an de pignore vel hypotheca convenerit an non, ut si vel in longum tempus, vel sub hypotheca proponatur facta locatio, dominus directus ei stare teneatur, alias vero non obligetur. Eius distinctionis rationem adfert, quod prioribus casibus, quaesitum conductori ius in re, quod ei invito auferri non possit: posteriori vero casu cum conductor nullum ius in re habeat, sed tantum personalem ex conducto actionem, quæ adversus singularem possessorem non est dirigenda. Quam distinctionem alii recte improbant, quia adiectione etiam longioris temporis locatio facta natura eius non mutetur. Nec in Vasal-

li potestate est, illi sine domini consensu ius in re aliquod, in dominum directum transitorium, conferre, & si quod jus conferret resolutio iure concedentis resolveretur jus accipientis *l. 31. ff. de pignor.* Sed in huius locum aliam distinctionem substituunt, nimirum distinguendum esse, utrum res locata ad dominum redeat ex lege & conventionem ab initio dicta; an ex causa nova planeque voluntaria, ut priori casu non sit cogendus dominus directus, ut stet colonus, ob rationem modo allatam. Posteriori vero casu obtinere distinctionem Molinæi volunt. Sed cum vasallus plus juris in uno casu, quam in altero non sortiatur, propterea dominum omnino non teneri stare locationi a vasallo factæ arbitrator.

## Thes. XVIII.

Legatarius non minus conductorem expellere potest, *l. nihil 120. §. ult. de legat. 1.* Ratio est perspicua, quia legatarius est dominus cui cedere debet conductor.

Thef. XIX.

Usufructuarius quoque expellere potest colonum, *l. arbores* 59. §. 1. *in fin. ff. de usufr.* quia usufructuarius est quasi dominus & ad eum pertinet omnis rei utilitas *l. 4. & 7. ff. de usufr.* utijam supra monitum.

Thef. XX.

Porro dominus, si rem non ipse locaverit; sed vel bonæ fidei possessor *l. si quis domum* 9. *ff. locati* vel fructuarius *l. 9. §. 1. ff. loc.* locationem adimplere non obligatur, quia plenum habet rei proprietatem usufructu extincto, §. *ult. Inst. de usufr.* Similiter colonus; qui contraxit cum fructuario, ab herede usufructuarii potest expelli instar domini, usufructu finito *l. si quis* 9. §. 1. *ff. loc.* quia usus fructus morte usufructuarii finitur, & proinde conductio quoque ab eo facta, quæ jure illo usufructus innitebatur.

Thef.



## Thef. XXI.

Pupillus, vero expellere conductorem, cui tutor rem pupillarem locavit, non potest *l. ff. tutela 8. ff. de admin. tut.* ubi tutor conventus a pupillo, de pecunia pupillari credita ab ipso ad certum diem, non cogitur eam præstare pupillo ante diem, quia scilicet pupillus, quod utiliter a tutore gestum est, infirmare non debet. Idemigitur de locatione, in utilitatem pupilli facta, dicendum, dominienim loco habetur tutor, cum tutelam administrat, *l. qui in fundum 7. §. si tutor 3. ff. pro emt.* Neque obstat, quod si dominus rem locet conductori, eum tamen emtor possit expellere; Nam a tutore facta locatio est in rem pupilli, sed a domino facta non est in rem emtoris, ideoque emtor quod suo nomine non est gestum, recte non curat, pupillus curare debet.

## Thef. XXII.

In quibus casibus successor singularis stare locationi factæ per antecessorem, non obligatur in illis neque conductor tenetur continuare conductio-

ductionem factam. Neque enim contractus onerosus, qualis est locatio, claudicare, sed mutuo obligate debet utramque partem. Ita Molin de Just. & Jure Tract. II. Disp. 491. n. 2. Plura addi potuissent, si temporis ratio minus habenda foret. Ceterum cujus praesidio telum disputationis sum exorsus, ejusdem subsidio contraho velum. Sit itaque soli Deo laus & gloria.



99 A 6972

ULB Halle  
002 823 799

3



Sb<sub>1</sub>

Retrav





DISSERTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
DE  
**LOCATORIS  
SUCCESSORE**

*QUAM*  
DIVINA ADSPIRANTE CLEMENTIA  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
**DN. GUILIELMO HENRICO**

DUCE SAX. JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM ANGARIÆ  
ET WESTPHALIÆ ET RELIQUA  
EX DECRETO ET AUCTORITATE  
*ILLUSTRIS IN FLORENTISSIMA SALANA JCTORUM ORDINIS*  
PRÆSIDE

**JOANNE BERNHARDO FRIESE,**

HEREDITARIO in Pöfen/  
JCTO, SERENISS. DVC. SAXO-ISNAC. CONSILIARIO AULICO ET  
CONSISTORIALI, ANTECESSORE, JUD. AUL. FACULTATIS  
IURIDICÆ ET SCABINATUS ASSESSORE  
*DOMINO PATRONO, ÆTATEM, UTI PAR EST, VENERANDO*  
**PRO LICENTIA**

SUMMISQUE IN UTROQUE JURE HONORIBUS ET PRIVILE-  
GIIS RITE ET MORE MAJORUM CAPESSENDIS  
D. XXVII. OCTOBR. MDCCXVII.

HORIS ANTE ET POMERIDIANIS  
PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI SUBMITTIT  
**JOANNES BENEDICTUS KYBERUS, ADVOC.**  
AUL. ALTENB.

**J E N Æ**  
TYPIS WERTHERIANIS.

